

# FRANCISCUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei

dilecto filio **Matthaeo Rougé**, e clero Parisiensi, hactenus curioni parociae Sancti Ferdinandi in Externis, electo Episcopo Remptodurensi, salutem et Apostolicam Benedictionem. Aptemus corda ad ea, quae sursum dunt, quia, licet sit Ecclesia veluti navis magna per mare mundi huius enavigans et diversis tentationum fluctibus tursa, eam tamen non relinquimus, sed regimus fiduciam habentes in Domino ex toto corde, confisi in eum, qui Nobis onus imponit, et portantes per illum, qui est omnipotens, quod per Nos portare non possumus (cfr. Bonifatius, Epistulae, 78). His pastoralis sollicitudinis innidi, mentem flectimus ad spirituales necessitates gregis Remptodurensis Nobis maxime prosequendi, qui post translationem postremi sacrorum Antistitis sui, Venerabilis Fratris Michaelis Clupetit, ad metropolitanam Ecclesiam Parisiensem, novum expectat Pastorem ac vitae dioecesanae moderatorem. De te ergo, dilecte fili, cogitavimus, qui spiritualibus humanisque dotibus ita ornatum te exhibuisti, ut aptus videreris ad haec munia sumenda. Proinde, audito consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra auctoritate, te Episcopum **Remptodurensis** constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Ordinationem episcopalem ubivis extra Urbem, servatis liturgicis normis, a quolibet catholico Episcopo suscipere poteris, praemissis fidei professione et iureiurando fidelitatis erga Nos Successoresque Nostros, secundum sacros canones. Volumus, dilecte fili, hoc de Nostro decreto clerum et populum huius ecclesialis communitatis edoceas, qui te magistrum spirituales accipiant colendissimum. Dominus praestet, ut Pastor sis sollicitus, summo-pere vigilans super gregem Christi, praedicans maiori et minori, diviti et pauperi, omne consilium Dei, omnibus gradibus vel aetatibus, in quantum Deus donaverit posse, opportune et importune, potissimum Sanctissimam Eucharistiam, fontem et culmen vitae Ecclesiae, ore docens, firmiter tenens et operibus profitens confidenter. Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Junii, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

Franciscus